

genera, & species determinantur per attributa speciebus, & individuis communia; nempe species prodit per novam determinationem, quæ generi accedit, ita quoque prodit individuum per determinationem eorum quæ in notione speciei non determinantur, ita ut nihil omnino indeterminatum supersit. Si enim aliquid remaneret indeterminatum, specis data ad quam refertur individuum, non foret infima, sed intermedia, quod est absurdum. Ergo principium individuationis est omnimoda determinatio eorum, quæ enti actu insunt.

Objic. Illud est principium individuationis, quod constituit individuum, sed materia constituit individuum; ergo materia est principium individuationis...

Resp. Dist. min. Materia omnimode determinata, C. Min. Non omnimode determinata, N. Min. Equidem materia concurret ad formandum individuum, sed illud non efficit nisi quatenus est omnimode determinata. Idem dici potest de forma.

Inst. 1. Materia concipitur ut indeterminata, priusquam concipiatur ut determinata; ergo materia omnimode determinata non est principium individuationis.

Resp. Dist. ant. Prius materia universaliter accepta concipitur ut indeterminata, quam ut determinata, C. A. materia pro ut contracta est in individuo, N. A. distinctio patet. Præterea jam antea monuimus, per principium individuationis non intelligi id quod primum concipitur in individuo.

Inst. 2. Individuum non potest constitui